

dimur quodammodo Deo, et positis aliis erga creaturas affectibus, ipsum nos amare velle ostendimus, a quo opem flagitamus, (quis enim non amet eum, a quo beneficium sperat et accipit?) et sic inflammatur amor filiorum erga parentes, cum parentes ab ipsis rogari volunt. Ad hæc nos oram ipso humiliamus, ipsum reveremur, adoramus, etc. Et hoc est illud thymiana suavissimi odoris, quod offerri sibi præcipit Deus, Exod. cap. XXX. Nemo tam rudis est, ut credat suffitum illum Deum curæ, honori vel oblectationi fuisse, nisi quatenus repræsentavit Judæis, quibus omnia in figura contingebant, orationem, de qua David, Psal. CXL. ait: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*. Ut enim incensum illud oblectabat odoratum, pellebat fetorem, fiebat ex contusis aromatibus, prodibat ex igne: ita oratio honorat et oblectat Deum, pellit fetorem peccati et Dei iram, procedit ex corde contrito et humiliato, inardescit ex amore: *Pro aris*, inquit Origenes, l. VII. contra Celsum, *nobis est mens sua cuique ex qua feruntur sursum vere et intelligibiliter suave, olentes suffitus preces ex pura conscientia*. Hi sunt vituli laborum nostrorum, Ose XIV. quos reddimus Deo nostro, uti exponit apostolus ad Hebr. ult. Unde nulla unquam natio fuit, quæ non haberet certam supplicandi Deo suo rationem.

V. Secundum eundem Chrysostomum, hom. XIX. in Matth. ut familiares Deo efficiamur interpellationis frequentia; siquidem ex crebro colloquio gignitur familiaritas, et cum experimur sapius nos auditos obtinuisse, quæ petivimus, inde fiduciam acquirimus propius et familiarius cum Deo conversandi et nihil non impetrandi. Sic videmus fera animalia ciborum porrectione paulatim allici et magis ad manum porrigentis accedere, tandemque intrepide e manu cibum capere, nec fugere attractantem, imo ei familiaria et addicta fieri. Murena Crassi Romani appellantis vocem agnoscebat, atque ad eum adnatabat: cumque ei quidpiam porrigebat, gaudio exiliens prompto et parato animo accipiebat. Unde Crasso tam erat chara, ut mortem ejus fleverit, teste Eliano, l. VIII. cap. IV. Solent et mendici consuetis suis largitoribus magis commendati et familiares fieri. Unde S. Bernardus, tract. ad fratres de monte Dei, sic describit orationem: *Oratio est hominis Deo adhærentis affectio, et familiaris quædam et pia allocutio et statio illuminatæ mentis ad fruendum Deo quamdiu licet*. Novimus certe Moysen ex consortio sermonis cum Deo habiti secunda vice in monte Sinai, vultum ejus fulgidis illuminatum esse radiis, ut nemo in ejus faciem posset intendere, Exod. XXXIV. Nimirum qui cum Deo

sæpe conversantur et orantes colloquuntur, instar Moysis radiis Dei afflantur, fiuntque deformes et lucidi anima, et quandoque etiam in corpore, uti Christus Dominus in oratione figuratus collustravit suis radiis Moysen, Eliam et tres discipulos. Sancti etiam aliquot, uti Antonius, Franciscus, Ignatius Loyola aliique qui inter orandum visi sunt toti radiare. Nec mirum: si enim ex conversatione cum homine muscum redolente, etiam ipsi odorem aliquem contrahimus; si redolent manus ex chirotheis redolentibus: si ex pharmacopolio odorem aliquem efferimus: quid mirum si ex Dei familiari colloquio divinum aliquid induamus? Et quoniam ipse dixit: *Delicia meæ esse cum filiis hominum*, ideo per orandi studium voluit nos sibi fieri familiares. Principes terreni non admittunt quosvis ad suam conversationem ac colloquium; multo minus invitant. Unde audires illos dicentes: *Noli mihi molestus esse*. Sed non ita Deus, qui invitat omnes, ut instanter petant et cum ipso colloquantur: *Petite et accipietis, etc.*

VI. Secundum S. Basilium, loco supra cit. ut cognoscamus Dei dona et quanti decet æstimemus ac conservemus. De humanis donis concedi potest illud Senecæ, l. de benefic. *Nulla res carius constat, quam quæ precibus empta est*. Nequaquam de divinis; de his enim dicebat Christus ad Samaritanam: *Si scires donum Dei, tu forsitan petisses, id est, utique petisses*. Ea vero si nullis interpositis precibus a Deo gratis omnino offerrentur, utique vilescerent. Ex Actis apostolorum, c. XXII. scimus tribunum illum magni æstimasse, civem esse Romanum, siquidem eam dignitatem magna pecuniæ summa consecutum se dicebat. Quanto æquius igitur est, uti Dei dona, quia omne pretium superant, precibus saltem comparentur? Scimus S. Augustinum vocatum ab episcopo quodam, *filium lacrymarum* matris suæ, quod ejus conversionem Monica mater multis lacrymis, et precibus obtinisset, ut est in confess. l. III. c. XII. Quod donum tanti ipsa æstimavit, ut propter id unicum vivere, eo vero obtento mori desiderarit; ut habetur ibid. l. IX. c. X. ideoque filium terra marique comitaretur, ib. l. VI. c. 1.

VII. Secundum Chrysost. h. XIX. in Matth. ut habeamus occasionem et incitamentum humiliandi nos, et agnoscendi miseras, defectus et peccata nostra. Prudens paterfamilias, ut in humilitate et officio contineat servos suos, reservat sibi claves aliquot, veluti clavem pecuniarum, quas eis pro servitio pactus est, clavem penuariam et cellariam, clavem domus, etc. ita ut si nummos velint, si panem aut vinum appetant, si noctu egredi e domo cupiant, non id libitu suo obtineant, sed petere cogantur. Simili

ratione Deus honorum suorum claves sibi reservavit, ut dum ea petere ab ipso debemus, in officio et humili obedientia contineamur. Pulchre autem Hebræi dicunt, quatuor potissimum claves Deum sibi reservasse. Primo, clavem vitæ seu generationis, uti indicat Jacob, cum objurgatus ab uxore, ut daret ei liberos, respondit: *Num pro Deo ego sum, qui privavit te fructu ventris tui?* Gen. XXX. Secundo, clavem pluviarum, quas cum vult emittit, quasi ex thesauro suo, Deut. XXVIII. *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cælum, ut tribuat pluviam terræ suæ in tempore suo*. Tertio, clavem alimonie ad famem depellendam, Psalm. CIII. *Omnia a te expectant ut des illis escam in tempore*. Dante te illis, colligent: *aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate*. Avertente autem te faciem, turbabuntur: et Psalm. CXLIV. *Aperis tu manum tuam, etc.* Quarto, clavem sepulcrorum seu resurrectionis, Ezech. XXXVII. *Ecce ego aperiam tumulos vestros et educam vos de sepulcris vestris*. Hæc similia bona dum sibi reservavit Deus, voluit hominem sibi adstringere ut cogatur ad ipsum recurrere, et continere se in humilitate; quia ejus ruinas implere debet, qui cecidit ex superbia. In cujus locum ille nos perducat, qui eum sicut fulgur de cælo cadentem vidit.

CONCIO III.

DE UTILITATE ET FRUCTIBUS ORATIONIS.

I. Mentem exhilarat. — II. Parit contemptum mundi. — III. Munit contra hostes. — IV. Reprimat dæmonem. — V. Vincit ipsum Deum. — VI. Impetrat quod petit. — VII. Meretur aliquid. — VIII. Satisfacit pro peccatis.

THEMA.

Petite et accipietis. Joan. XVI.

In libro Judith, cap. VII. legimus Holofernem, eum obsidere pararet Bethuliam et circuit prius civitatem, reperisse fontem, qui per aquæductum dirigebatur et influebat in civitatem. Primum itaque quod fecit, erat, ut incidi præciperet aquæductum illum, quo nimirum cives aqua destituti citius se dederent. Et obtinisset absque dubio quod machinabatur, nisi Deus de cælo per famulam suam Judith populo suo succurrisset et Holofernem prostravisset. Spirituali sensu hoc idem molitur humani generis nostis, qui sciens quantum boni nobis proveniat e cælestis aquæductu, qui nihil aliud est, quam oratio, de fonte bonorum omnium Deo, omnia nobis necessaria adducens: ideo ante omnia conatur hunc incidere et ab orandi studio homines avertere, certus utique quod

facile superari queant qui hoc studio destituti sunt. Sed quod Holofernus potuit per vim, non poterit diabolus nisi consentiamus nos. Absit igitur a nobis ut incidi patiamur aquæductum nostrum. Quin potius si cætera bonorum operum studia forte quis intermittat, saltem orandi studium nemo intermittat, nisi in extremas calamitates et certissimum exitum præcipitari velit. Quod ut constantius faciamus, cælestis hujus aquæductus commoda videamus.

I. Oratio mentem exhilarat, teste S. Jacobo, cap. V. *Tristatur aliquis vestrum? Oret: et 1. Thessal. V. Semper gaudete, sine intermissione orate, q. d. si semper vultis gaudere, semper orate: similiter Isa. LVI. Lætificabo eos in domo orationis meæ*. Etenim Judæi lætantes ibant ad templum, quasi ad domum Domini, ibique exultantes orabant et canebant omnis generis instrumentis. Unde David dixit, Psal. CXXI. *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*. Quanto majori lætatione adire templum nostra deberemus, ubi vere et orporaliter Deus habitat in eucharistia? Scimus Davidem exultasse ante arcam et lusisse instrumentis, licet arca illa typus tantum eucharistiæ fuerit: quanta ergo cum consolatione deberemus effundere corda nostra in templis nostris? Refert S. Hilarius, initio expositionis Psalm. Davidem cum adhuc pastor esset et ruri solus degeret, subinde melancholia laborasse: ideo ei pellendæ psalterium accepisse et divinas laudes cecinisse, hacque ratione seipsum exhilarasse. Quo experimento edoctus postea etiam Saulem liberavit a dæmone melancholico, 1. Reg. XVI. Ad hujus igitur exemplum, si quæ nos tristitia invadit, sumamus citharam orationis et canamus.

Ratio, quia cum alteri, superiori præsertim et iudici, aperimus afflictiones nostras et injurias, quas patimur, inde recreamur et sublevamur. quasi jam deposuerimus onus. Multo magis consolari debemus, quando Domino Deo aperimus nostras miseras at afflictiones; ipse enim pater noster, medicus et iudex est. Unde Psalm. XXXVI. dicitur: *Revela Domino viam tuam et spera in eo, et ipse faciet et educet quasi lumen justitiam tuam, q. d. aperi Deo per orationem et committe causam tuam: et ipse inveniet rationem, qua innocentia et justitia tua patefiat contra oppressores, etc.* Quod experta est Susanna: suspiciens enim cælum, quando injuste condemnabatur, commendabat causam suam Deo: *Erat enim cor ejus fiduciam habens in eo; moxque excitavit Deus puerum Danielelem, qui innocentiam ejus prodidit eamque liberavit*, Dan. XIII.

II. Parit contemptum rerum mundanarum.

Deo enim appropinquat orans, et de rebus maximi momenti cum eo tractat ac colloquitur, quibus degustatis fastidire incipit puerilia, quæ in mundo sunt negotia. Ut enim regis consilarii qui de provinciis, de exercitibus, de bellis et legationibus, ac similibus cum rege solent agere, quando somnum redeunt, privata negotia, et quæ ad rem domesticam pertinent, levi nutu expediunt et tamquam vilia spernunt: ita qui cum Deo media oratione agunt, et de rebus illis summis, quæ ad Dei gloriam et animæ salutem spectant, agitant consilia: quando ad terrena ista oculos convertunt, omnia contemnunt tamquam inanissima. Si quis staret juxta solem, et terram inde aspiceret, totam vix puncto compararet: et qui in altissima turri stat, homines formicis et equos catellis nihilo grandiores putat: ita qui orationi addictus est, terrena omnia pro nihilo ducit. Est enim oratio ascensus mentis ad Deum, et per eam non tam appropinquat nobis Deus, quam nos illi: quia ut advertit S. Dionysius Areopag. sicut qui in nave positus trahit se ad littus, videtur littus ad se trahere, cum tamen contra fiat: ita orans trahitur potius ad Deum, quam trahat illum ad se. Hinc ergo fit, ut talis non facile moveatur aut tristetur, licet aliquod damnum vel injuriam accipiat, licet majora in aliis, minora in se videat bona, etc. qui conscius rerum supernarum, omnia hæc contemnit: similiter nec gaudet ob fortunam temporalem, si laudetur, si opes acquirat, si vestibus fulgeat, si inimicorum suorum infortunia cernat, etc. quia nihili ista ducit, quæ alioquin homines in terra constituti magna esse putant, eisque plurimum moventur.

III. Munit instar mœnium contra omnia pericula et hostium incursus. Cujus rei exemplum videre est Exod. XVII. ubi quamdiu Moyses levabat manus et orabat, vincebat Israel; sin autem paululum remisisset, superabat Amalec. Quo exemplo animabat suos contra Holofernem et excitabat ad orationem, adeoque opem sensit Eliacim sacerdos, Judith. IV. Idem fere accidit orante S. Gregorio Thaumaturgo: sæviante enim persecutione ipse pro suis civibus et martyribus cum tyranno depugnantibus oraturus in montem cum diacono ascendit, ibique extensis manibus orarunt. Insecuti sunt eos persecutores, sed eos non agnoverunt; putabant enim se non duos homines, sed duas arbores videre. Testatur Gregorius Nyssenus, in ejus vita. Hinc honorius imperator dicere non dubitavit: *Imperium Romanum ruere et stare precibus sacerdotum*: et Justinianus imperator, in novella constituit. CXXXIII. dicit: *Imperium, militiam, agros ipsos et quicquid habent homines sæculares, per orationes conservari sanctorum*: et nostro tempore S. The-

resia ad hunc potissimum finem erexit monasteria religiosarum mulierum, ut quando manu contra hæreses pugnare nequirent, oratione pugnarent et lacrymis, lib. II. cap. 1. vitæ ejus. Sensit et hanc orationis efficaciam olim Ludovicus Palatinus, qui cum venationi deditissimus esset, et publico edicto severe cavisset, ne quisquam subditorum cervis aliisque feris nocuum afferret, indeque factum esset, ut illis passim segetes et vineta vastarentur, querebantur subditi et dicebant: *Nisi edictum hoc mitigaveris posthac expers precum populi tui*. Quo audito ille: *Si ita fore existimatis, inquit, malim carere etiam tota vita ferinis ferculis, quam meorum precibus*, Timoth. Brech. in orat. Lud. princ. Quod si tantum valet oratio aliena, quanto plus valebat propria? Expertus est Judas Macchabæus, qui tot tamque nobiles victorias de Antiocho obtinuit, quia semper ante singula prælia ferventes ad Deum preces fudit, excepto ultimo, in quo confossus occubuit, quia tunc orasse non legitur, 1. Macch. IX.

IV. Dæmonem reprimit. « Scelerati spiritus, inquit Chrysost. lib. 1. de orando Deo, si nos conspexerint deprecatione munitos illico resiliunt non aliter quam prædones ac facinorosi, uti conspiciunt militis gladium in caput suum vibrari. Quod si contingat aliquem esse nudum precepcionis presidio, hic avulsus deportatur a dæmonibus, et in calamitates variæque mala impellitur. Sic ille. In vitis patrum, l. VI. tit. II. legimus, Julianum imperatorem apostatam et necromanticum misisse dæmonem ex Perside in occidentem, ad ferendum sibi inde responsum aliquod. Cumque venisset dæmon ad locum in quo habitabat Publius monachus, stetit ibidem per decem dies immotus, quia monachus ille continuo orabat, itaque transitum ejus impediabat. Regressus ergo dæmon et a Juliano increpatus, cur tamdiu moram fecisset, respondit: *Publius monachus transitum meum impedit et ita re infecta redeo*. Julianus indignatus minatus est Publio mortem; sed ipse prius et non multo post interfectus est. Scribunt in Thracia equos, tametsi ferocissimi sunt, uno tamen filo frænari et retineri posse. Annon equus ferocissimus dæmon? Et tamen tenuissimo orationis filo domatur et retinetur, uti diximus. Hinc Cant. IV. ubi Vulgata legit: *Sicut vitta coccinea labia tua*, alia littera legit: *Sicut filum coccineum labia tua*; non obscure indicans hujusmodi filum esse labia orantis. De chamæleonte scribit Scaliger, exercit. CXCXVI. quod sit hostis animalium venenatorum; unde videns serpentem, in arborem ascendit, et ex ore quasi filum more araneæ demittit, in cuius extremitate est guttula margaritæ splendore; hanc pede anteriore diri-

git super serpentem, eaque tactum enecat. Similem efficaciam habet oratio contra dæmonem in nomine Jesu facta, juxta id: *In nomine meo dæmonia ejicient*. Idcirco Ecclesia ad omnes orationes in fine appendit quasi margaritam filo orationis ex ore deducto, dum precatur auri per Dominum nostrum Jesum Christum. Quare cum insiatatur nobis serpens infernalis, consendamus orationis arborem, elevemus mentem ad Deum, et texamus ejusmodi filum. Huc facit, quod abbas Joannes dicebat: *Sicut vir videns feras, fugit scanditque arborem: ita cum veniunt prava cogitationes fuge per orationem ad Dominum et salvaberis*, in vitis patrum, III. 3. c. ult.

V. Vincet ipsum Deum. Sic enim Exod. XXXII. Moyses per orationem tenuit et ligavit quodammodo Deum, ne perderet is populum idololatrantem. Unde Deus: *Dimitte me, inquit, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos, faciamque te in gentem magnam*. Illud dimitte me, Chaldæus vertit: *Intermitte deprecationem*. Sed perrexit Moyses in orando Domino, placatusque est Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat. Quo loco Lipomanus ait: *Humano loquitur more Dominus Deus, veluti cum filius offendit patrem, et pater in manu evaginatum tenens gladium, quasi ad jugulandum eum, alicui servo existente dicat: Ne retineas me a percussione reprobi hujus, innuens nihilominus magis contrarium, videlicet quod retineri velit*. Eadem orationis vis designata fuit in lucta illa Jacob, quam habuit cum angelo, tenuit enim illum nec voluit dimittere, priusquam ab eo benediceretur, Gen. XXXII. Amicus ille, qui juxta Domini parabolam, respondit amico suo petenti a se tres panes, quis est nisi Deus? Is ergo primo animum obfirmaverat, cum diceret: *Jam ostium clausum est, et pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere et dare tibi*. Et tamen perdurante altero in precibus, victus ejus importunitate surrexit et dedit ei panes, quotquot habuit necessarios. Mira est vis remoræ piscis pedis longitudine, quæ ingentes naves etiam contra fluctus et ventos remorari scribitur a Plinio, l. IX. cap. XXV. et aliis, quod etiam attestantur nautæ. Sed longe major est vis orationis, quæ ipsum Deum retinet, ne progrediatur ad vindictam. Amos propheta scribit, cap. VII. misisse Deum aliquando locustas ut devorarent fruges terræ. Cumque jam partem devorassent, orabat Amos: *Domine Deus, propitius esto obsecro, quis suscitabit Jacob, quia parvulus est?* Mox: *Miseratus Dominus super hoc, non erit*, ait. Postea videbatur illi Dominus devoraturus terram per ignem; et cum jam pars absorpta esset, rursus orabat Amos: *Domine Deus, quiesce obsecro: quis suscitabit Jacob, quia parvulus est?* *Miseratus Dominus super hoc: sed et istud*

non erit, inquit. Vide quantam Dei iram continuerit brevis oratio!

VI. Impetrat quod petit. Etenim oratio velut clavis atrea, qualis dari camerariis solet a principibus in signum, quod omnes ingredi cameras possint, et quocumque tempore principem adire, omnesque aperire seras. Hanc nobis contulit Christus, quando dixit in hodierno evangelio. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Et quis explicare queat quam mira et mirabilia per clavem hanc obtenta sint? Moyses aquam e petra, manna de cælo, coturnices, maris rubri divisionem obtinuit. Elias quasi claves cæli haberet, id clausit et aperuit rursus ad pluviam, cum voluit. David quanta? Sed multo plura et mirabilia servi Dei in nova lege obtinuerunt per orationem. Abbas Bessarion oravit per dies quatuordecim continuis manibus in cælum extensis: unde aquam maris dulcem reddidit, Ruff. l. III. in vita patr. Jacobus Nisibites oratione Nisibim urbem contra Saporem defendit, omnesque ejus molitiones irritas reddidit, Theodor. in ejus vita: Simeon Stylites oratione aquam impetravit plurimæque miracula patravit, teste Theodor. Theonas abbas oratione latrones reddidit immobiles: Zacchæus pestem Cæsarea ejecit: Hilarion dæmones ejecit. Taceo alia innumera.

Dicunt Hebræi Deum quatuor sibi claves reservasse, clavem pluviarum, Deut. XXVIII. § XII. clavem generationis, Gen. XXX. § II. clavem alimonie ad famem depellendam, Psal. CXLIV. § XVI. clavem resurrectionis, Ezech. XXXVII. § XII. Sed oratio est quasi clavis universalis, omnia illa bona observata aperiens: oravit Elias et obtinuit pluviam famemque depulit, III. Reg. XVIII. oravit Isaac pro fecunditate sterilis uxoris, et obtinuit geminos filios, Gen. XXV. oravit Elias et suscitavit mortuum, III. Reg. XVII. oravit S. Elisabetha pro juvene profano, sæculo addicto, et impetravit ei gratiam ut religiosus fieret. Etenim: « Gertrudis Leinbacha femina nobilis, ad Elisabetham venerat salutandam, quam comitabatur ephesus Bartholdus profano cultu corporis ornatus, sed parum a virtutibus excultus, ut solet vana juvenus, parum pensi habens salutem, ante quam ponit corporis ornamenta. Hunc contemplata Elisabetha, et ex habitu oris vestiumque vanitate conjectans de animo: Quid agis, inquit, adolescens, parum bene ad virtutem compositæ; quamobrem non applicas animum ad virtutis cultum, et auctori vitæ tuæ te ipsum auctoras, a quo olim æternis bonis augearis? Propitia tu mihi, inquit, numen domina, ut illum pro ut par est, colam. Vis, inquit Elisabetha, pro te preces fundam annuente et precante? Simul ergo Deo supplicemus, ambobusque in genua

subidentibus in cœnobio Werdensi, ubi res gerebatur, cœpit uterque Deo preces supplices sternere, et tam ardentibus Elisabetha, ut adolescens sentiret non animum suum tantum cœlesti calore inardescere, sed ardorem etiam in corpus redundare, quem cum ferre vehementiorem non posset, rogavit, ut illa modum precandi faceret; sed perseverante, cœpit sudore profundi, toto corpore diffluere, æstuare, concidere, ut ab accurrentibus fuerit levandus, maxima voce inclamans Elisabetham, ut remitteret preces, alioquin in carbonem redigendus. Desiit illa precari, ille fervere, calorem imo ardorem adolescentis ancilla vix potuit sustinere, quæ manus illius tangebatur. Ipse ad S. Francisci familiam se mox contulit. » Ita Rad. in Bavaria s. p. 4. Verum sicuti camerarii principum non debent indiscrete uti clave illa, alioquin restringetur illis potestas: sic nihil oportet a Deo indiscrete petere. Idcirco ait S. Aug. in hom. super hodiernum evangelium, tract. CII. in Joan. addidisse Christum, ut in nomine ejus peteretur, propter eos, qui nonnulla petunt a Patre in Christi nomine, nec accipiunt, quia nimirum: *Non petitur in nomine Salvatoris, quidquid petitur contra rationem salutis.* Ceterum ne oratio talis vacua prorsus abscedat, obtinebit a Deo aliquid melius quam petit. Sic enim pater filio discedenti ad studia dicit: *Scribe ad me omnia, quæ tibi necessaria fuerint, et ego providebo tibi.* Quod si tamen filius postea per litteras peteret sclopeta, gladios, pocula, chartas lusorias et aleas, librosque vetitos, nequaquam obtineret, sed saniora et meliora. Similiter agit Deus: *A quo, ut ait S. Bern. serm. V. in quadr. de triplici modo orationis, unum e duobus indubitanter sperare possumus: quoniam aut dabit quod petimus, aut quod nobis noverit esse utilius.*

VII. Meretur semper aliquid oratio devota, licet forte non impetret quod petit. Non fuit audita Pauli oratio, quando ter oravit ut auferretur ab eo stimulus carnis, habuit tamen meritum suum. Non ergo aufertur, quod oranti non conceditur, sed differtur, et in futuram mercedem commutatur, sicut cum quis vovet Deo ejusque Ecclesiis certam pecuniæ summam, pro sanitate, v. g. sua aut aliorum, vel curat dici missas, licet non impetret quod petit; non perit tamen meritum operis quod fecit, sed reponitur in cœlo.

VIII. Satisfacit pro peccatis, si labor aliquis accedat, v. g. si nocturna sit vel diurna, si fixis diu genibus, si extentis brachiis, si in frigore, etc. sic enim pœna penam tollit. Satisfacit autem non pro nostris tantum, sed pro aliorum etiam seu vivorum seu defunctorum peccatis. Prodesse orationem animabus purgantibus, exemplo ostendemus. An. 920. fato concessit

Sisinandus quartus Compostellanus episcopus, cujus tanta fuit fama sanctitatis, ut Joannes papa, opinor, decimus, per litteras et tabellarium proprium se precibus ipsius commendaverit. Mortuus est autem senio confectus. In cujus obitu voces auditæ sunt angelorum canentium: *Veni, electe Dei, intra in gaudium Domini tui.* Successit illi Gundesinus V. Compostellanus præsul, et comitis cujusdam filius: sed hic cuna mundo, quam Deo, magis deditus esset, vitam non satis pro fine clausisse dicitur. De qua re mater ejus, matrona pia, gravi confecta dolore, et de anima filii vehementer sollicita ante aram beatissimi Jacobi apostoli divinam misericordiam dies noctesque non destitit implorare, et fletibus, preceationibus, jejuniis, elemosynis sibi demereri, interposito S. Jacobi patrocinio, donec quadam nocte in templo ejusdem apostoli vocem hanc audivit: *Scias filium tuum hac nocte ad electorum societatem admissum fuisse.* Ita habet Joannes Vesæus, in chronico Hisp. ad an. 920.

CONCIO IV.

CAUSÆ CUR INTERDUM NON AUDIANTUR PRECES
NOSTRÆ A DEO.

I. Defectus fiduciæ. — II. Non petimus ea quæ conveniunt. — III. Quia non ferventer petimus. — IV. Quia forte in peccatis hæremus. — V. Quia forte noxia petimus.

THEMA.

Amen, amen dico vobis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Joan. XVI.

Tantæ et tam manifestæ sunt promissiones Christi, orantibus factæ, ut mirum videatur quid sit quod tam raro, quæ petimus, consequamur. Quid clarius et præstantius hodierna promissione cum ait: *Amen, amen dico vobis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis?* Jam vero quam multi sunt, qui petita non assequuntur? Nos ipsi quamdiu pro pace et tranquillitate, principum unione et hæresum extirpatione supplicavimus? Quot litanias et processiones instituimus? Et tamen adhuc tempestas, adhuc bella et minæ. Quæ hujus rei causa et ubinam defectus? Certum imprimis est, non esse causam ex parte Dei, qui non potest non promissis stare. Ubi igitur defectus? In nobis utique, qui non petimus sicut decet, et Christus petendum præscripsit: *Petitis et non accipitis,* inquit Jacobus, *eo quod male petatis,* c. IV. ep. Qua in re attendenda sunt etiam verba Christi singula, non tantum sensus verborum, quomodo scilicet et qua lege promittat. Ideo, Joan. XV. signanter ait: *Si verba mea in vobis manserint, quodcumque*

volueritis, petetis et fiet vobis. Ergo si peteramus, quo modo insinuavit nobis Christus, nil esset, quod non impetraremus. Quare dum in hodierno evangelio jussit non petere, et promisit se nos auditorum, interim etiam docuit, quomodo rogari velit. Et quia in promissionibus mens promittentis advertenda est, pensanda sunt verba illa: *Amen, amen dico vobis, etc.* quod hic faciemus.

I. Non audimur, quia forte fiduciam in Deum non habemus, quam tamen requirit Christus cum ait: *Amen, amen dico vobis, q. d. certissime mihi credite et confidite me vos auditorum, etc.* Hac videtur caruisse Moyses in educatione aquæ de petra, ideo ad primum ictum non fluxit aqua; quia nimirum: *Distinxit in labiis suis,* Ps. CV. seu *dubius fuit,* ut habet ibi Græcus textus. Sed post, resumpta fiducia, ad secundum ictum fluxit, Num. XX. Sunt enim imprimis aliqui, qui nisi mox audiantur, statim diffidere incipiunt, et relicto Deo suo unico adjutore, ad auxilia alia et sæpe illicita confugiunt. Velut ægri aliqui, qui nisi a medico suo primo statim curentur pharmaco, mox alium accersunt; vel etiam imperitorum consiliis et remediis uti incipiunt. Hocceine vero non in despectum medici cedit? Nonne is merito postea ægrum deserit? Similiter non potest non ægerime ferre Deus, si homo confidat in homine et creaturis, earumque auxilium imploret, se relicto. Sane David sæpius inclusus erat, et jamjam in manus Saulis venturus, quia tamen in Deo fidebat, et ad orationem confugebat, semper incolumis evasit. Aliquando persequente ipsum Saule, intravit in speluncam Engaddi, 1. Reg. XXIV. Quid agis, David? Nonne in spelunca mox deprehendi potes et occidi? Confidebat certe non in umbra speluncæ, sed in umbra Dei potius. Unde tunc Psalmum LVI. recitans, hac de re ait: *Miserere mei, Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea, et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.* Et transiit certe illic Saul cum suo exercitu, nec deprehendit Davidem in interiore spelunca latitantem; qua de causa? Subjungit David statim: *Clamabo ad Deum altissimum, Deum, qui benefecit mihi.* Ubi paraphrasis Chaldaica ita exponit: *Orabo coram Deo altissimo et forti, qui accersivit araneam, ut perficeret in ore speluncæ telam propter me.* Quo nimirum Saul arguere non posset aliquem intro esse; id quod etiam S. Felici martyri Nolano persecutionem fugienti divinitus accidisse legimus. Quod si de Davide quoque verum, vide quid potuerit ejus in orando fiducia. Simili fiducia præditæ fuere, et obtinere postulata duæ illæ viduæ, quæ amissis filio et filia utraque ad statuam Virginis properat, et filium

ei ex brachiis extorquet, quoad suum recipiat. Illum lupus, hanc hostes in vincula rapuerant; nec mora, redditur utrique, illi filia a lupo, huic filius, reserante carcerem Deipara, apud Rad. p. II. virid. cap. V.

II. Quia forte non petimus ea, quæ postulare convenit. Unde dicitur: *Si quid petieritis.* Res enim temporales, et quæ ad salutem non pertinent, pro nihilo computat Sapiens et in omnibus videt vanitatem, Eccl. II. Quare ipse jussus aliquid petere a Deo quod vellet, petiit non rem inutilem, ut dies multos, divitias, animas inimicorum, sed sapientiam: unde factum, ut etiam terrena et minora omnia adjicerentur, III. Reg. III. Quod si inutilia et vilia petimus, injuriam facimus Deo, qui ditissimus est, princeps, et magna petere nos jussit; sicut non absque contemptu Alexandri magni Diogenes jussus ab eo petere quod vellet, petiit: *Ut procul a se recederet, ne solem sibi auferret,* volens per hoc opes ejus contemnere. Idem faciunt Deo, qui inania petunt, quasi Dei divitias contemnunt. Idem Alexander M. donans Perillo quinquaginta talenta argenti, dicente Perillo, sufficere sibi decem respondit: *Tibi quidem sat est accipere, sed mihi non sat est dare,* Plutarch. in apoph. Igitur et a Deo ea petenda sunt, quæ divina munificentia digna sunt: bona nimirum solida et cœlestia. « Rex noster, inquit S. Basilius, cap. II. constit. monast. munificentissimus est, et augustissimus, et indigne fert, quandocumque quis exiguum aliquid a se petit, quandocumque quis nostrum de rebus ipsum minime ipsi convenientibus rogat. » Intellexit hoc etiam vir ille bonus, qui (recenset Salmeron, tom. X. tract. XI. p. CIII.) precum locum recitavit viginti quatuor elementa litterarum, cum hac clausula: *Domine, junge litteras, et a te peto quod tibi magis placet, et mihi magis expedit. Quid autem sit illud, tu melius nosti.* Petierant jam dudum aliqua discipuli a Christo, velut Jacobus et Joannes, ut sedere possent ad ejus dexteram in regno ejus (quod putabant fore terrenum) et tamen eis dicit hodie Christus: *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo,* quia scilicet illud nihil erat, terrenum et fluxum erat. Hinc in oratione Dominica: « Nulla divitiarum petitio, inquit Cassianus, collat. IX. c. XXIV. nulla memoria dignitatum, nulla potentatus ac fortitudinis postulatio, nulla corporeæ sanitatis seu temporalis vitæ mentio continetur. Nihil enim caducum vult a se, nihil vile, nihil temporale, eternitatum conditor implorari. Itaque magnificentia ejus ac munificentia maximam irrogabit injuriam, quisquis his sempiternis petitionibus prætermisissis transitorium aliquid et caducum ab eo maluerit postulare: et offensam